

factus Rector, ad universitatem retuli. Visa est res digna hoc tempore, quo ad amussim et rectius aliquando iudicium pleraque revocantur. Neque etiam latebant querelae amissorum et monumentorum et actorum publicorum impune, tum cum in paucorum arbitrio starent in schola ac caderent omnia quondam. Quibus etiam solis placuit omnia scire, ut omnibus imperarent et nullius neque facti neque consilii sui rationem reddere vellent. Sic ut recte queat illud Ciceronis notissimum in istos torqueri: Si in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus. [An den Rand hatte Borner geschrieben: 'Imperiositas et invidentia quorundam'; eine andere Hand, wohl die eines Gegners, fügte hinzu: 'ut C. B.']

„Habent omnia coenobia, sacerdotum collegia, municipia, castella in thesauris monumenta et archetypos litterarum arctissime repositos, habent rursus ad manum exemplorum libros, vulgo dicta Copialia. Quibus cum opus est saepe revisis, memoriter praesertim meliores ex iis possunt tum ad verbum usque et numerum sua iura cognoscere tum e perplexis quaestionibus sese evolvere. Apud nos quid actum sit hucusque talibus in rebus, cum deplorare nolim rem clara luce expositam, laudo academiae huius decretum, pro studio et fide, qua fortasse me praeditum existimaverunt, iubentis, videre hic pro viribus, ne quid amplius hac parte detrimenti in posterum caperet universitas. Primus igitur mihi congressus fuit cum fisco. Ibi inutilem farraginem membranarum et chartarum exoletarum reperi. Jacobant fundamentis scholae admixtae Wunsidelianae litis processus et litterae, odio tantum, nulla etiam memoria dignae. Basiliense concilium aetate nostrorum avorum et Felix antipontifex pauculique alii pontificum Romanorum exhortatorias aut denuntiatorias in illis suis ambiguis temporibus plumbatas dederant ad universitatem quondam. Quae tum non exigua fuit nostrorum laus. Eas bullas sane multas, fortasse nihil amplius utiles sed honorificas solum, scissuris nescio quando mutilatas, una cum pergamenaceis chartis litium circiter XXXVIII, epistolis item sive missivis in capsula quadam, ne custodiae turba obstaret, fisco eieci. Caeteras foundationum, confirmationum, compactatorum, privilegiorum, donationum et censuum, quotquot earum reperi, in numero vixdum XVIII, in thesauris reliqui. Mox in unum exemplorum recens ad hoc instructum librum hunc, quem COPIALEM noto verbo vocare permittitur, dudum varie dispersis in variis libris copiis, etiam cum iis, quae archetypis carent, fidelissime transposui, marginalibus notis, ut, quod cupis, obviam adpareat, lubenter illustravi. Jam vero in aerario reperta scheda et elenchus repositorum eodem diplomatum, ab anno Christi M·D·II., plura quam hodie supersunt indicat. Ne quis autem temere nostram hanc operam, ut fere fit, accipere et alio deflectere queat, aliam iuxta prolixam chartam siue sexternionem oblongum fisco imposui: et in eodem relictorum aut exemptorum aut certe etiam non repletorum luculentam admodum rationem reddidi.

„Sed nec Librorum lustrandorum necessitudo minor succurrebat animo: admirantibus tam longo temporis spacio, quod a condita academia hac post M·CCCCIX· hucusque centum triginta compleat annos, tam exiguas reliquias rerum et eas solas, quae ruinam minantis longe magis quam constitutionem nascentis scholae prae se ferunt, in hisce libris superesse. Nec enim Acta d. Reuschii rectoratum ad sextumdecimum annum abhinc, Conclusa vero septuagesimum excedunt annum. Quae utraque qua arte disposita sunt, nihil ad me nunc pertinet dicere, qui hoc spectavi solum, ut omnia totius universitatis scripta relegerem, marginum iudiciis non secus quam in Copiali, significarem ac in unum denique indicem alphabeticum omnia contraherem, quo seorsim rector vel